



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XLII. In Tit. XLII. De Alienatione, Judiciii Mutandi Causa, Facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

tita contra Principis sententiam, non habeat effectum suspensivum.

2735. Not. autem 1. quod, si quis causam læsionis probavit, redintegretur illi causa, qui se læsum probavit, non tamen ultra, quam læsus est; Clem. unic. h. t. Not. 2. septem causas numerari concedendi beneficium restitutionis in integrum. 1. metum; 2. dolum malum; aliud scilicet simulando, aliud agendo. 3. ætatem minorenem; 4. capitis diminutionem minimam, seu mutationem familiæ; 5. justam absentiam Reipublicæ causâ; 6. substitutionem potentioris adversarij per alienationem; 7. pietatem, & reverentiam debitam locis, & communitatibus Religiosis, Reipublicæ, Civitati &c. sic Haunold cit. tom. 1. de jure, & just. tr. 2. à n. 475.

2736. Not. 3. ut postulatio restitutionis effectum habeat, causam, propter quam petitur, probandam esse, & si causa favora-

bilis sit, semiplenam probationem sufficere; Zoësius h. t. n. 1. ex c. 4. eod. addens ad justam causam reduci, ætatem minorem, in quantum per eam læsio causata est, ut dicitur in c. de in integr. restit. minor. & ff. de minoribus. Not. 4. Ecclesiam gaudere jure Minorum, ex c. 1. h. t. ut diximus supr. Hinc restituitur 1. si vendendo, locando, læsa fuerit, salvo tamen pretio Emptori, vel conductori, & sumptibus, si quos fecit, c. 1. h. t. secundo, si læsa fuit confitendo, c. 2. eod. in 6. intellige confitendo verum, quod non tenebatur, ut notat Barb. ibid. n. 9. Tertiò si læsa fuit omittendo probationem necessariam, non obstante termino juris exclusivo, c. 3. h. t. sic Zoësius cit. n. 2. & procedit etiam contra sententiam Papæ, c. 5. h. t. arg. L. minor. 18. §. 5. ff. de

Minoribus, quod verum est, licet Ecclesia læsa sit factio Prælati
c. 2. h. t.

QUÆSTIO XLII.

IN TIT. XLII. DE ALIENATIONE, JUDICII MUTANDI CAUSA, FACTA.

2737. **H**ic titulus agit de alio remedio restitutionis in integrum, per quod providetur illis, in quorum præjudicium alienatio facta est, causâ mutandi, seu vitandi judicium futurum. Nam ei, in cujus præjudicium facta est ejusmodi alienatio, Prætor promittit *actionem in factum*, nisi res in statum integrum restituatur (L. 1. ff. h. t.) seu jus conveniendi alienantem, ut præstet, in quantum interest hujus, rem, vel ejus possessionem sic per fraudem esse alienatam, restituendo scilicet petitorum in integrum perinde, ac si alienatio facta non esset, ut constat ex L. 1. & seq. h. t. vel jure Codicis, actionem in rem contra possessorem, ut notat Zoësius h. t. quibus positus:

2738. Quæres 1. quid propriè sit hæc alienatio facta ex causa mutandi judicij. Resp. quod sit alienatio alicujus rei, ob quam quis timet sibi litem inferendam, eo animo facta, ut Actor per hoc constituat alium adversarium, puta *potentiorum*, vel *qui magis vexaturus sit* &c. ut dicitur cit. ff. Hinc si quis ita rem suam alienaverit,

Prætor edicto suo succurrit Actori, ut illi alienus *tanti* actione in factum teneatur, *quanti* ejus interest, talem adversarium non habuisse, ut dicitur L. 1. h. t. Nominè *alienationis* hic intelligitur omnis actus, quo vel dominium, vel possessio transfertur, L. si res, §. 1. h. t. nec refert; si res, sive actio ad rem, causâ mutandi judicij alienetur, & in aliam personam transferatur.

2739. Quæres 2. quid requiratur, ut actio in factum alicui competat adversus facientem alienationem, causâ mutandi judicij? Resp. requiri tria. 1. ut res alienata sit causâ mutandi judicij futuri, ut habet gl. in c. 1. h. t. V. *commutationem fecerint* & non autem causâ judicij jam capti, L. ex hoc edicto 8. §. 2. ff. eod. secundo, ut res alienata sit *dolo malo*, l. 1. l. 4. §. si quis ff. eod. Censetur autem alienata *dolo malo*, vel ratione loci (ut si translata sit in personam alterius provincie, vel jurisdictionis, quæ scilicet non est sub eodem Judice) vel ratione personæ (ut si transferatur in alium potentiorum, nempe privatum, qui ratio-

ne

ne nobilitatis, & opum plûs adversarium divexaturus est) vel denique, si ratione talis alienationis quocunque modo adversarij conditio deterior efficiatur; ut habetur L. 1. h. t. item L. 2. & 3.

Tertiò requiritur, ut rem, sic alienatam, vel alium adversarium ipsi ex hoc constitutum esse, actoris intersit. Nam si ex hoc nihil incommodi patitur, non subvenitur per actionem ex alienatione judicij mutandi causâ, L. 3. §. ex quibus ff. eod. gl. ibi: V. incommoditatem. Si verò aliquid horum trium non interveniat, talis actio non datur; ut si quis, contra dolum, rem possidere desinat v. g. ob morbum, ætatem, occupationes, odium litium, vel aliam necessitatem, L. 4. §. si quis h. t. similiter non tenetur hac actione, qui eam rem; quæ petitur, suo creditori obligatus, solvit ei, vel venditori reddit eo animo, ut lites fugiat, L. 8. §. ult. cum duab. seqq. ff. h. t. Nam in alienatione necessaria dolus inesse non dicitur. Similiter non tenetur, qui rem alienat, hæredem instituendo, vel legando; L. 8. §. sed hæredem ff. eod. Idem dicendum, si quidem intervenit in alienatione dolus; sed non fit causâ mutandi judicij; utrumque enim requiritur, ut patet ex dict. V. Pirhing h. t. n. 4. in fine.

Cæterum factâ cum dolo alienatione, judicij mutandi causâ, petitori (qui scilicet timetur litem moturus) non tantum actio in factum ad interesse datur contra alienantem, sed etiam directa rei vindictio contra possessorem, sic, ut Actor, vel petitor convenire possit, quem maluerit, L. unie. C. h. t. & gl. ibi. V. elegeris; & in r. 1. eod. V. commutationem. Nam etiam contra eum, qui dolo desit possidere, cum pro possessore habeatur, utilis rei vindictio datur; L. si autem 7. §. sed & is, ff. de rei vindicta: & hæc de jure civili.

2740. Quæres 3. quid in hoc dicendum sit de Jure Canonico? Resp. hoc jure defini-ri 1. quòd in casu alienationis cum dolo factæ causâ mutandi judicij, non tantum alienans, sed etiam is, in quem res translata est, coram Judice suo ordinario (ut dicitur L. unie. C. h. t.) sed etiam coram

alieno, nimirum delegato vigore rescripti (esto solum contra alienantem impetratum sit) conveniri possit; ut habetur c. ex quorundam 1. h. t. Et hoc in dato casu speciale est, quòd rescriptum delegationis (quod alias regulariter non extenditur ad personam non expressam, ut dicitur c. 40. de Offic. Jud. deleg.) extendatur etiam ad possessorem rei sic alienatæ, licet expressus non sit, si fuit conscius, quòd alienatio fiat causâ mutandi judicij; unde sicut contra directè alienantem causâ mutandi judicij agi potest ad interesse; sic etiam contra alienantem; indirectè; v. g. qui cedit possessionem alteri; quia & hic in legem delinquit; Abbas in c. cit. n. 1.

Resp. 2. Jure Canonico prohiberi Clericis, ne faciant sibi cedi actiones, & lites à laicis causâ mutandi judicium, ut eos trahant ad forum Ecclesiasticum; c. ex parte 2. h. t. Not. autem, hanc prohibitionem procedere, sive titulo lucrativo, sive oneroso sibi cedi prædicta curent, si fiat titulo fraudis, & avaritiæ; secus, si iusto, ut dixi supr. quamvis in dubio præsumatur, tales cessiones factas titulo avaritiæ, & fraudis, præsertim si lites & actiones dubiæ emanantur à Prælati.

2741. Quæres 4. an actio in factum, competens ex alienatione dicta, transeat ad hæredes? & contra hæredes? Not. hanc actionem respectu ejus, in cujus præjudicium alienatio facta est, non esse pœnalem, sed merè persecutoriam rei, consequenter eam, etiam illius hæredibus competere (L. 4. §. fin. ff. h. t.) & directè quidem contra eum, qui suo nomine alienavit, & contra rei alienatæ possessorem (Zochius h. t. n. 7.) contra eum verò, qui alienavit alieno nomine (ut Tutor &c.) datur tantum actio utilis, scilicet ad æstimationem; contra hæredes autem alienantis non datur, nisi quantum ad eos ex ipsius delicto pervenit; quia sic eorum respectu est actio pœnalis, quæ non transit in hæredes, vel successores, nisi quantum ad eos ex delicto pervenit; L. 1. ff. de privat. delict. §. non autem, Institut. de perpet. & tempor. actionib. Wesenbecius ff. h. t. n. 7.

